
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRITIA
DE
PUERPERIO,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA, SUMMISQUE IN HISCE HONORIBUS AC
PRIVILEGIIS RITE AC LEGITTIME CONSEQUENDIS
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
Publicae disquisitioni submittit

Antonius Chrudimsky,
Semlino Syrmiensis.



In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die 9a Mensis Januarii Anni 1834.

Vindobonae,
Typis Francisci Ludwig.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

FRATRIBUS OPTIMIS,

I N

PIGNUS AMORIS TENERRIMI.

Auctor.

Lecturis Salutem!

Absoluto studiorum curriculo, ac superatis tentaminibus rigorosis, sancitae Academiae Legi adstrictus; obiectum de Puerperio suscepi conscribendum. Ex amplo huiusce status organismi foeminei, respectu tam anatomico-physiologico, quam pathologico-therapeutico, campo ea selegi; quae dillucidandae Metamorphosi puerperali inservierunt. Quodsi tamen iusto brevior fueram, id temporis angustiis adscriptum haberi obtestor.

§. 1.

Puerperium (a vocabulis latinis Puer et pario, Kindbett, Wochenfeyer, Wochenreinigung, Sechswochen) est ille actus organismi foeminei, quo natura pristinum totius aequilibrium restituere conatur.

§. 2.

Grave hocce organismi foeminei officium ingenia physiologorum parum adhucdum occupaverat, cuius rei caussa partim in disiunctione artis obstetriciae a reliquis medicinae disciplinis; partim in eo quaerendum est, quod ars obstetricia ea potissimum phaenomena in sphaeram suam traxerat, quorum contemplatio basim praxeos constituit. Artis enim obstetriciae peritus, ut finem assequatur praefixum, agentem se exhibeat necessum est; cumque actionum humanorum pars maxima principiis per experientiam dignatis initatur, factum est: ut ea tantum medicorum attentionem maximam sibi vindicaverint, quae fine cum practico nexu proximo gaudent; iis autem, quae theoriam de functionibus organismi foeminei complectuntur, facilius carere arbitrarentur.

§. 3.

Insignem et nunquam non nocivum, per hancce Doctrinarum Physiologiae et Pathologiae a praeceptis artis obstetriciae exclusionem, iniustamque a medicis earum vilipensionem hiatum non tantum ratione theoriae, ast vel maxime etiam praxeos relinqui, variae et saepe contradictoriae auctorum de conceptione, graviditate, partu et puerperio sententiae confirmant; cuius asserti veritatem, docente peritissimo Boer; opiniones nonnullorum qui affirmavere, febrim puerperalem in viris etiam observatam fuisse, sat iusteque demonstrare censeo.

§. 4.

Caussa tandem etiam, cur functiones puerperales haud aequo indagatae fuerint oculo, in eo mihi latere videtur quod medici de campo actionum artis obstetriciae iusto angustiorem coluerint conceptum, finem videlicet earumdem decursu graviditatis, partusque processu determinari, putantes.

Caput I.

§. 5.

Ad exponendas, quae in foemina puerperali contingunt, functiones physiologicas eae

praemittendae hic loci erunt, quae illi conveniunt in variis vitae periodis puerperium antecurrentibus, cum hac via tantummodo inductionis ope logicae debitam de puerperio acquirere fas sit evidentiam.

§. 6.

Organo cuivis, sive parti cuivis oeconomiae animalis propria substantialisque convenit vita, quae in conservatione sui ipsius nexuque causali cum organismo qua totalitate consistit; cuius rationis dupplicis maior minorque dignitas, ex varia partim organi ipsius habitu functioneque, partim ex influxu eius in Organismum, huiusce in illud imperio dependet. Quare organi cuiusvis vita dupplicem considerationis agnoscit horizontem, videlicet qua vita substantialis, independens, indifferens, et qua vita nexus organici dependens, differens.

§. 7.

Ast vero, sicut quodvis organon ab organismo qua totalitate maiorem aut minorem profitetur dependentiam; ita et vice versa organismi integritas vitaeque illius tenor a functionum organorum illud constituentium mutuo determinatur concentu; qui nexus sequentibus innititur Naturae legibus:

a) Quo nobilius est organon, ratione relationis functionum eiusdem ad organismum; eo maior est organismi ab illo dependentia.

b) Essentiale nominandum est organon, sine quo totum exsistere non valet, cuiusque abolitio ruinam totalitatis qua sequelam necessariam post se trahit; cum ipso et per ipsum integer tantum exsistit organismus.

c) Quo ignobilius est organon, ratione relationis functionum ad organismum; eo maior huiusce ab illo ellucet independentia.

d) Accidentalis fere relatio in illis observanda organis, in quibus maximae persaepe grassantur destructiones, quin notabile exinde in totalitatem damnum redundet.

§. 8.

Propria et admiranda plane, inter omnes organismi partes, systema sexuale muliebre et vel maxime uterus, qua centrum huiusce systematis, ad reliquum organismum gaudet relatione, per totum vitae decursum; quae sequenti exprimi valet censeo propositione: Ante pubertatis introitum, et post cessantem fluxus menstrui typicum decursum, tota uteri ad organismum relatio pura est passivitas. Sub catameniis, conceptione, graviditate, partu et

puerperio est relatio illius mera activitas. Illis proin periodis, quibus passivum se habet, organismo quasi adaptatus est; posterioribus autem vitae momentis toti dominatur organismo.

§. 9.

Huius, de systematis uterini relatione ad reliquum organismum, sententiae veritatem ut demonstrem ad principia tam anatomica quam physiologica mihi recurrendum erit, quorum auxilio fulcitus sequentia adducere supervacaneum non esse censeo, et quidem:

a) Respectu anatomico: Ante pubertatem uterus parvum, durum, prope cartilagineum repraesentat corpus, sine eminente structura et textura organica tam paucis perplexum vasibus, ut secundum adfirmata nonnullorum frusta abscindi queant, quin notabilem sangvinis ploret quantitatem, verbo tantam acquirit humorum nutrientium sangvinisque quantitatem, quanta ad sui ipsius conservationem indiget.

b) Respectu physiologico: Vitam vivere videtur mere vegetativam non certo aut praescripto intentus negotio, sine speciali communione aut cum partibus illi vicinibus, aut cum reliquo organismo, huicque oneris adinstar ratione individua-

litatis suae adnexus exsistit; mortua in illo praedominatur vis contractilis totam eius tenens massam, per eamque tam aequaliter diffusa est; ut nusquam oppositionis, aut virium exsistat discordia, qua in actionem excitaretur. Hoc respectu non absimilis pilis, cornubus, cartilaginibus, ossibus, dentibus aliisque vitam inter et mortem luctantibus organisationis partibus censendus est.

§. 10.

Durante proin hocce vitae stadio tota uteri ad. reliquum organismum relatio, mera passivitas iure nuncupanda, cum nullas ab organismo notabiliores impressiones recipiat, nullasque illi impertiatur, nec sensibilitatis nec irritabilitatis in eo vigent symtomata, reproductione tantummodo in eo praedominante; praevalet vis contractilis expansionis vi in oppositionem dinamicam non emergente, unde fit ut nullo phoenomeno organisationis vitam suam in organismo exserat, ad nullam aptus sit actionem, oppovitionibus dynamicis in illo nedum exsuscitatis.

§. 11.

Haec uteri ante pubertatis evolutionem ad organismum relatio passiva, etiam extremo

cycli foeminei tempori convenit. Quadragesimo quinto vel quinquagesimo circiter aetatis anno, novam uterus inchoat metamorphosim, phoenomenis paulatim deffloerescenti eiusdem vitae vigori convenientibus sese enuncians, ad statum aetati impuberae non multum dissimilem redeuns.

Respectus anatomicus: Mons veneris complanatur, pubes crispantem ammitunt formam, decidunt pudendorum labia, contabescunt, corrugantur et emarcescunt, decrescunt nimphae, vagina abbreviatur. Uterus albescens, cartilagineus, succis depauperatus, duriusculus evadit, ad magnitudinemque illi ante pubertatem haud notabiliorem redit. Ovaria, quae in virgine quatvor et medii scrupuli pondus trahebant, ad gravitatem scrupuli unius minuuntur. Ubera orbantur pingvi, textura cellulosa tendineam assumit indolem, angustantur et abbreviantur ductus lactiferi, quinimo disparent, contabescit glandula lactifera, rursusque omni structura, qua pubertatis tempore gaudebat, destitutam acquirit formam.

Respectus physiologicus: Organismum inter et systema uterinum respectu consensus organici ea iterum subintrat relatio, quam supra sub decursu aetatis inpuberae effata est.

Caput II.

§. 12.

Exposita systematis uterini relatione ad organismum passiva, quae tempore puerili et illo post menstrua cessantia foeminae humanae convenit: id vitae temporis spatium inquirendum restat, quod hisce duobus interpositum est.

§. 13.

Ad, recto hoc temporis intervallum subiiciendum scrutinio, penitiusque indagandam eius ad organismum relationem, in sequentia summa, illud characterisantia, disiungendum esse censeo momenta:

A. Momentum subintrantis pubertatis.
B. Momentum periodici fluxus menstrui.
C. Momentum exortae facultatis concipiendi.
D. Momentum functionum vitalium sub coitu.
E. Momentum conceptionis.
F. Momentum graviditatis.
G. Momentum partus.
H. Momentum puerperii.
I. Momentum lactationis.

§. 14.

Haecce evolutionis momenta tamen nequaquam definitis circumscribi limitibus: ast in-

timo inter se iungi nexu causali ea quidem ratione; ut subsequens momentum semper caussatum sit antecedentis, ipsumque caussans subsequentis efficiat. Sic pubertate subintrante menstruus apparet fluxus, quo praesente evolutam concludimus facultatem concipiendi, quae iterum basim celebrandi coitus foecundantis sistit; sic graviditas conceptionem praegressam praesupponit; absente graviditate nil quod partus evolvat aderit, quo finito tantummodo de puerperio lactationeque sermo par erit.

§. 15.

Momentum evolutionis primum, seu pubertatis introitus de regula circa annum aetatis duodecimum usque decimum sextum, apparente prima menstruatione, sese enunciat. Hocce videlicet vitae momento uterus seriei partium organismi activarum sese adiungit, excitata in illo vita animali, functiones illi proprias inchoans. Non adipiscitur vitam organicam uterus altiorem; ast exorta tandem vita organica actiones fini eius convenientes defungit; hocce demum temporis momento activum, partim cum organis illi proxime adsitis, partim cum organismo integro cui hucadusque ut hospes adhaesit, ingreditur commercium, impressus ab illo nanciscens, illique

reactionem opponens. Huiusce mutuae organismum inter et systema uterinum relationis activae phoenomena, fere sequentia sunt: uterus mollescit, vasibus locupletatur, maioremque acquirit molem, crescunt pubes, apparet impulsus amoris physici, vitalitatis symtomata in genitalibus, uti: sangvinis turgor, coloris rubri, se et excretionum adauctio, maiorque caloris evolutio tempus hocce pubertatis insigniunt.

§. 16.

Periodicus fluxus menstrui reditus, seu catamenia, qui potissimum menstruis lunae fasibus adstrictus est, unde et nomen sortitur, vehementis impulsus amoris physici adauctaeque concipiendi facultatis effectus est. Praetermissa penitiori fluidi huius mucoso sangvinolenti typiceque excreti descriptione, non ignarus turgorem huncce vitalem in systemate uterino contingentem, conditionem necessariam conceptionis futurae sistere, id adhuc memoratu dignum esse censeo: huncce fluxum mucoso sangvinolentum organa genitalia coitus functioni aptiora reddere, quod in mammalibus a pristino naturae statu adhucdum non remotis, optime observare licet; nam apud ea coitui semper antecedit muci plus minus rubicundi fluxus, catameniali foeminae huma-

nae fluxui haud absimilis, qua secretione absente coitum peragendi nec impulsum nec facultatem in iis observamus.

§. 17.

Coitus functiones omnes vitae quam maxime in genitali uterinoque systemate exaltatae symtomatibus stipantur. Adest videlicet copiosior uteri et vaginae secretio, prorumpit ex orificio genitalium flumen caloris, adest actionis muscularis vigor, focus totius irritabilitatis ferme in systemate genitali adest, magnam tandem et sympathiam totus reliquus patitur organismus, quae tamen quibus sese enunciet symtomatibus ut enarrem, praefixus Dissertationis finis vetat.

§. 18.

Conceptio illa functio organico vitalis est, cuius ope celebrantibus duobus sexus utriusque individuis foecundante et concipiendi facultate pollentibus, germen novi organismi evolvendi ponitur. Quid de theoriis variis conceptionis, foecundationis superfoecundationis et superfoetationis tenendum, in quantum una alterave plus minus veritati consentiat, id in plurimis tam Physiologorum quam artis obstetricae cultorum sagacissimorum libris clare expositum est adeo; ut eas silentio praetereundi mihi veniam adrogem.

§. 19.

Graviditas illud temporis intervallum est, quod peracta conceptione incipiens, primis foetum expellendi moliminibus intrantibus terminatur. Consideratis omnibus sub graviditate phoenomenis, iuste dignatis omnium organorum functionibus; certe nemini artis obstetriciae peritorum arduum erit; summam temporis huiusce intervallo systematis sexualis et vel maxime uterini actionem vitalem perspicere, maximumque illi per totam organismi provinciam concedere imperium. Sistit videlicet uterus hoc tempore centrum naturae formatricis, cuius ut finis scopusque recte assequatur, reliquorum totius organismi partium functiones seu media inserviunt, et non laesa totalitatis incolumitate inservire debent. Hicce nunc praefixus naturae scopus, dupplici tantummodo via assequetur, opitulante videlicet ipso uteri systemate, et organorum totius functionibus in eum conspirantibus. Respectu prioris tota uteri actio in praedominante vi consistit expansiva, quod graviditatis decursus sat luculenter demonstrat. Alterum ut evincam, oculo attento omnes organismi foeminei tam Sensibilitatis et Irritabilitatis quam Nutritionis functiones mihi lustrandae erunt. Foeminae videlicet gravidae totus animi sensatio-

nisque alter evadit modus, qui totus circa conservationem evolutionemque foetus versatur; abundat sangvis materia fibrosa, adest plethora abdominalis, assimilationis et nutritionis tenor augetur etc. Ex lege illa naturae universali cuius iussu praedominante vitalitate et functione unius organi, antagonistica reliquorum contingit depressio: et sub uteri graviditate seu flore omnium illius actionum, huius in reliquum organismum influxum, qui ex datis pathologicis praecipue inclarescit, explicare licet. Observamus enim sub graviditate fracturarum ossium tam raro contingere sanationem, gravidarum ulcera facillime decursum summere chronicum, luem veneream, scabiem aliosque systematis reproductivi morbos in progressu et florescentia quoddammodo impeditos, morbos persaepe lethales in influxu suo obtundi, ac nonnisi partu peracto vitae insidias struere.

Caput III.

§. 25.

Pertractatis hucusque iis foeminae humanae functionibus vitalibus, quae aut maiorem aut minorem systematis uterini cum organismo integro mutuam agnoscunt relationem, expositis pro viribus hanc relationem roboranti-

bus phoenomenis, quae omnia eum in finem praemittenda esse censui, ut ex illis qua necessariis propedeuticis rectam obiecti, quod pro Dissertatione assumseram, aggredere descriptionem mihi par sit. Complectetur Caput hocce illius vitae periodi functiorumque seriei expositionem, sub quibus prima naturae molimina organismi pristinum aequilibrium restituere conantia apparent, illo vitae momento terminantia quo organisatio foeminea in statu ab illo virginis non multum abludente versatur, novum inchoare valens cyclum. Quamvis notum habeam sub nomine puerperii comuniter illud temporis assumi intervallum, quo, foetu enixo, phoenomenorum fluxus lochialis, lactationis et aliorum organismi revolutionis symptomatum contingit successio: attamen hancce de puerperio subsumtionem definitioni litteris meis praefixae neutiquam sufficere, conceptumque de puerperii functionibus exponenti, iusto angustiorem esse mihi videtur: ut qui initium puerperii a primis ad partum moliminibus assumseram. Feci proin puerperii decursus subdivisionem sequentem:

A. Momentum introitus naturae moliminum ad partum.

B. Momentum partus.

C. Momentum continuationis contractionum uterinarum.

D. Momentum Metamorphoseos regressivae systematis uterini et sexualis, quo horum organa formam et qualitatem recuperant a statu virginitatis non multum abludentem.

E. Momentum fluxus lochialis.

F. Momentum lactationis.

§. 26.

Prima naturae regredientis molimina, seu molimina prima ad partum, seu dolores praesagientes, trigesima sexta circiter a conceptione hebdomada contingunt, quae molimina seu dolores non uteri moli tantummodo adscribendi, ast in dynamica potissimum oppositione plenam inveniunt exsplicationem, quodque inferius demonstrare conabor. Symptomata inchoatae metamorphoseos regressivae sequentia sunt: apparent dolores tendentes, praementes a regione sacrali pubes petentes, contingit adaucta praecipue in genitalibus secretio, subsidentis uteri dillatatur et attenuatur orificium, evigilante tandem totius uteri vi contractiva partus ultro contingit. Contendunt quidem aliqui dilatationem attenuationemque orificii uterini ultimo iam graviditatis tempore contingere, ast mente attenta observantem non fugiet, hancce dilatationem inchoante tantummodo partu activam se praebere;

qua de caussa eam qua terminum graviditatem inter et partus officium inchoans interpositum assumendi rati habui.

§. 27.

Partus est ille actus organico vitalis, qui intrantibus naturae moliminibus retrogradis incipiens, expulsione foetus secundinarumque terminatur. Sicut de subintrantibus moliminibus ad partum, ita et de partus progressu variae erant opiniones, inter quas illa quae in mechanicis solummodo relationibus omnem querit rationem, et ea quae sibi uterum sub partu mere passivum immaginatur maxime quod a veritate abludat ex datis tam anatomicis quam physiologicis et pathalogicis ut evincam, operam navabo. Respectu anatomiae uteri compertum habetur, fibras uteri musculares longitudinales in orificii uterini segmento anteriori exordientes, planum anterius percurrere, fundum dein eius transscendere, per planum posterius decurrere in oppositaque orificii regione terminare; circulares orificium, sphincteris adinstar circumdantes ad fundum usque sibi superstruuntur. Haec ergo uteri conformatio certa nequaquam carere potest destinatione, provida natura nusquam frustra operante. Ad maximum videlicet per graviditatem adaucta vi expansiva, tandem exsuscita-

tur vis illi opposita; vis videlicet contractilis, cuius organon praecipuum systema musculare est. Intrantis sic vis contrahentis phoenomenon, motus est, qui sequentem observat typum. Vi contractili in fundo uteri hypomochlion summente, fines fibrarum fundo appropingvari necesse est; rebusque in cavo uteri contentis contractionem in linea recta non permittentibus, appropingvatio in linea parabolica fieri debet. Quae cum ita sint, fines fibrarum longitudinalium discedentes, fibras circulares, respective sphincter orificii, cum ipsis intextas secum trahent, quo actu dilatatio orificii contingit. Contractiones tamen sub partus officio fundo et corpori uterini adscribere, reliqua vero uti orificium et vaginam passiva se habere, aequum non videtur. Contractiones potius e foco, nempe fundo ad corpus hinc ad collum dein ad orificium, ac tandem ad vaginam propagare, eademque ut sub graviditate, qua fundus primo dein corpus, collum, extremo vagina extendebatur, lex valere videtur. Jam diu Boer vaginam sub partu vim contractivam exerere contenderat, pluresque artis obstetriciae periti cum eo consentiunt. Disquisitiones Joergii anatomicae, vaginae vim contractilem inhaerere, hinc ab illa partum provehi ostenderunt. Argumenta quae

hanc, de vaginae activitate confirmant opinionem, sequentia sunt: 1. Vagina magnis et evidentibus instructa est fibris muscularibus, quae in forti certe, quam patiuntur, expansione, non sine virium exercitio permanent. 2. Vagina nil aliud est, nisi uteri continuatio, hinc iuste cogitari non valet, vim uteri contractivam ad collum eiusdem tantummodo restringi. 3. Vis contractilis vaginae sub partu interdum efficacissima observatur v. g. in partubus sub quibus caput extremo in lucem editur, uterus quidem illud in vaginam deprimit, sed non ultra ipsam, quo momento vagina officium suscipere debet, caput per pelveos exitum genitaliaquae externa detrudendi.

Pari modo se habet orifficium uteri, nam artis obstetriciae periti affirmant, se versionis caussa manus in uterum immissae, appullente dolore compressionem in tota eius circumferentia dolentem sensisse, praecipue tamen in illis punctis, quibus orificium uteri attigerunt. Qua ratione id fieri potuisset, nisi orificii uterini adfuisset contractio?

§. 28.

Contractionum uterinarum centinuatio phoenomenon puerperii essentiale est. Contractiones hae doloribus post partum nuncupatis sese enunciant; qui dolores in primiparis

vehementiores, in partus iteratos peragentibus mitiores sunt, nequaquam symtoma pathologicum ast contractionum uterinarum physiologicum sistunt, illarumque intensio quam maxime a tenore contractionum dependet. Post partum iteratum leniores post partum primum aut post partum celeriter peractum, aut ubi uterus praesentia infantis grandis, gemellorum, aut copia liquoris amnii iusto maioris, perguam expansus erat, vehementiores sunt; tandem in puerperis sensilioribus aut in quibus partus artis auxilio v. g. versione aut solutione ope forcipis finitur, dolores posthumi magis saeviunt. Quod ultimum ex eo explicandum: uteri contractionem sub solutione artificiali debite non contingere, et cum expansio uteri sub graviditate paulatim tantummodo certisque contingat periodis; ita et contractio subsequens certo adstringatur tempori necesse est. Quod ergo uterus sub partu non praestiterat, id post partum resarcire conatur, quo fit; ut contractionibus praeproperatis dolores causentur notabiliores. Contingentibus ultro uteri contractionibus, uterus post marginem superiorem symphiseos ossium pubis globuli adinstar duriusculi, paulatim decrescentis et ex magna in parvam sensim sensimque subsidentis pelvim, digito sese opponit exploranti, ubi tandem magnitudinem, situm, formam

et qualitatem eam adipiscitur, quam ante conceptionem possidebat.

§. 29.

Has uteri contractiones posthumas phoenomenon esse puerperii essentiale, non tantum ex eo liquet, quod in omnibus de regula contingat puerperis: ast ex eo vel maxime, quod plurimi status pathologici in puerperio emansas uteri contractiones debitas pro caussa agnoscant. Huc certe iure haemorrhagias, metritides, spasmos vehementes, febrim puerperalem etc. numeramus; in quibus dolores certe non ad statum pathologicum pertinent, ast phoenomenon summe dignandum ac sperandum est, quo apparente saepissime tantummodo luctantes puerperae orci faucibus eripiuntur.

§. 30.

Alterum, non minus grave phoenomenon metamorphoseos regressivae, oculo disquirenti sese offert respectu colli uterini, vaginae et genitalium externorum. Portio videlicet vaginalis uteri longior, durior rotundiorve evadit, situm in medio pelveos rursus occupans, clauditur orificium uterinum, orificiumque vaginale formam denuo ab illa status virginalis non multum abludentem recuperat. Vagina angustatur, minuitur, durescit, redeunt paulatim rugae superficiei ejusdem internae, concidunt genitalia

externa et perineum, durescuntque. Haec nunc voluminis partium nominatarum iminutio nequaquam exclusive elasticitatis effectus est: ast quam maxime vi illi sub partu evigilatae, in puerperio ultro perduranti, sese per omnia organa tam systematis uterini; quam genitalium diffundenti, contractivae tribuenda est.

§. 31.

Phoenomenon tertium puerperii essentiale lochiorum fluxus est, qui impune nusquam abesse valet. Constat quidem maximi momenti huiusce fluxus lochialis influxum in totam puerperae organisationem esse: variae tamen de nexu eiusdem cum illa causali exstiterunt et exsistunt et Pathologorum et artis obstetriciae cultorum opiniones. Multi enim hoc phoenomenon pro genitalium purgatione habent, et vocabulo linguae vernaculae Wochenreinigung insigniunt. Nonnulli sub puerperio sanationis processum in utero per fluxum contingere lochiorum, nam uterum per solutionem placentae vulneratum aiunt, quemque modum sanationis ad normalem felicemque puerperii decursum, ultimis nonnisi uteri contractionibus absolvi volunt; qua sanatione peracta uterus rursus concipiendi recuperet facultatem. Docent alii uterum organon esse secernens, cuius dum sub puerperio adaugetur vitalitas, etiam functionem eius necessarie intendi. Tandem

alii in eo dilucidationem fluxus lochialis tentant; eam pro exoneratione a fluidorum abundantia, quae durante graviditate ad excolendum nutriendumque foetum necessaria, peracto autem partu superflua existit, habentes.

§. 32.

Ultimam, harum de fluxu lochiali opinionum maxime accedere veritati, iusta totius cycli functionum systema uterinum foeminae humanae complectentium, consideratione mihi videtur. Conceptione videlicet peracta individualis uteri vita praedominare incipit, vita totalitatis quidquam recedente; quo ad maiorem gradum nunc graviditas ascendit eo maior haecce eius vitae individualitas emergit, functionibus organismi caeteri magis magisque scopo eiusdem sese accomodantibus. Haec nunc uteri exaltata individualitas in functione praecipue secretoria consistit, cuius phoenomena in omnibus illis casibus in quibus activitas uteri eminenter contingit, sat clare observare licet. Sic sub coitu genitalia humectantur, quod praecipue sub conceptione locum habet, sub graviditate qua uteri flore totus uterus, et vel maxime superficies eius interna, humoribus scatet, qui ex solo materno proscaturientes foetui cibum praebent. Partu polorum contingit inversio, repraessa videlicet vita universalis amissa per graviditatem iura iterum recuperare co-

natur, ast hoc repentino nequaquam contingit opere; verum sicut successive tantummodo ex statu virgineo passivo, ope conceptionis subsequaque graviditate uterus summam vitae individualis attigerat florem; ita eiusdem ad statum pristinum revulsio lento ne incolumitas totius periculum ineat, procedat passu necessarium est. Sicut ergo vis activa uteri sub partu praesens, enixo foetu non illico disparet, sed contractiones uterinae amplius continuantur tenore decrescentes: ita et uteri secretio qua actio scopo praefixo maxime inserviens, in puerpera sensim sensimque disparet quantitate et qualitate varians; ex summa illa Lege cuius tenore Natura saltus facere non observatur.

§. 33.

Polorum haec inversio (redeuntibus videlicet organis sexualibus ad statum virginali non absimilem, et functionibus totalitatis revivificentibus) non lateralis est; verum per omnia organismi systemata, Reproductionis videlicet Irritabilitatis et Sensibilitatis latissime diffunditur.

Sic observamus ossa fracta naturalem ope calli formatione recuperare continuitatem, sub graviditate rari nunc frequentiores copiosioresque evadunt sudores, augetur robur musculorum voluntariorum, sensuumque acies, ex qua causa puerperae haud notabilem temperaturae

mutationem iam aegre ferunt, hinc magna in exanthemata sub puerperio exsplicanda propensio, hinc noxium odorum fragrantium in sensus puerperarum influxum exsplicare licet. Contendent forsan aliqui, hanc functionum cardinalium exaltationem nequaquam convenire puerperis: ut potius contrarium observare fas sit; quibus sequentia opponenda censeo: sub partu uteri activitatem praecipuum huiusce processus esse vecten quidem, ast alto tenendum animo, sub gravi hocce Naturae officio reliquas totius organismi vires opitulantem praebere manum quo fit: ut sicut in systemate uterino consecutiva tantummodo contingit regressio; ita et totalitatis virium resartiatur dispendium.

§. 34.

Neonatorum lacte, matris uberibus manante, inchoata nutritio, lactationis nomine venit. Lactis in uberibus foemineis accumulationem minus essentiale puerperii phoenomenon esse ex eo liquet; quod vel durante adhuc graviditate iam intret, vel ultra puerperium, reliquis systematis uterini sexualisque organis ad pristinum statum iam dudum reversis, perduret, vel tandem quod multae eo penitus destitutae inveniantur puerperae.

LITTERATURA.

Thom. Bartholin, antiquitatum veteris puerperii synopsis. Hafniae 1646.
Charl. Drelincourt, Observationes medicae circa regimen puerperarum et recens natorum. Lugduni 1684.
Jean Bohn, Valetudinarium panturientium. Lipsiae 1703.
G. Ernst Stahl, de puerperarum affectibus. Halae 1704.
Elias Heinr. Schmidt, de puerperarum regimine. Altorfii 1730.
Nicol. Rosen de Rosenstein, de cura puerperarum. Ups. 1749.
Daniel Wilh. Triller, de regimine gravidarum et puerperarum. Vittebergae 1757.
Philipp Adolph Boehme, de regimine puerperarum post partum naturalem. 1773.
Jos. Jac. Plenk, Anfangsgründe der Geburtshülfe. Wien 1781.
Rosenberger, Dissert. de viribus partum efficientibus.
Simon Zeller's Lehrbuch der Geburtskunde. Wien 1803.
Reil's Archiv für die Physiologie. VII. Bd. III. St. 1806.
Elias von Siebold, über die wahre Beurtheilung des Geistes der Schwangerschaft, im IV. Bd. der Lucina. Leipz. 1807.
Luc. Boer, Abhandlung und Versuche zur Begründung einer neuen einfachen Geburtshülfe, Bd. II.
Joerg's Handbuch der Kranheiten des Weibes. Leipzig 1809.
C. F. Burdach's Physiologie. Leipzig 1810.
Ludwig Friedr. von Froriep, theoret. pract. Handbuch der Geburtshülfe. Weimar 1814.
A. Hufer, Dissert. de catameniorum physiologia. Lips. 1820.
C. E. de Baer, de ovi mammalium et hominis genesi. Lips. 1825.
Carl Gustav Carus, Lehrbuch der Gynekologie. Wien 1829.
Wilh. Heinrich Busch, Lehrbuch der Geburtskunde. Marburg 1829.

THESES DEFENDENDAE.

1. Eudiometer mancae de aere athmospherico notitiae debet originem.
2. Lux, flamma et calor, combustionis phoenomena essentialia non sunt.
3. Non omnis cibus nutrimentum, et non omne nutrimentum cibus est.
4. Sanatio per secundam, ab illa per primam intentionem essentialiter non distinguitur.
5. Ubi caries ibi ulcus, ast non vice versa.
6. Justa ulceris definitio adhucdum speratur.
7. Necroseos et cariei Diagnosim statuere, tantummodo a posteriori saepissime concessum est.
8. Sanguinis depletionum effectus, non a quantitate sanguinis missi aut a methodo operationis solummodo; sed quam maxime a morbi sanandi charactere determinatur.
9. Conceptuum de crusta inflammatoria, serositate et sepsi sanguinis seiunctio, Medicinae aevi recentioris in acceptis referenda.
10. Maximum versatur inter sanum et aegrum ieiu nantem discrimen.
11. Lux non influxus cosmicus; sed productum organico vitale oculi est.
12. Assertum irronicum nonnullorum, de obiectis, quae uti aiunt scholam redolent, saepissime recti scientiarum cultus ignorantiam prodit.